

non sine ablata a nobis, sunt tamen infirmati. Quid quælo apertius, & explicatius? Frustra itaque specioso se velo tegunt Adversarii, ut sub venerando Scholæ Thomistica Principum nomine Doctrinæ suæ Portenta nobis obrudant; quibus Naturæ vitiatæ blandiuntur, Christi Crucem evacuant, Gratiamque medicinalem minus necessariam fabulantur, aut saltem minus expansam, vel efficacem committuntur.

De Naturæ Humanæ infirmitate, languore, vulneribus jam satis dictum. In sequentibus Exercitationibus de Naturæ ipsius reparatione per Christi Gratiam, seu de Gratia, quæ Naturæ infirmitatis sanari, juvareque possit, Disputationes auspi-

cabimur. In hoc porro Argumento, quod amplum satis est, Cornelium Jansenium Yprensem Episcopum exagitantem suscipimus; & quinque illius a Sancta Sede proscriptas Propositiones ad examen vocabimus; ut quicque intelligat, quam iuste, quam merito Ecclesiastica Censura confixa fuerint, atque Hæreseos nota signata. De Hæresi itaque Janseniana in hac postrema de Humanæ Naturæ Statibus Disputatione sermo fiet jucundus simul & utilis; ut qui de Jansenio, & Jansenismo toties audiunt, nec tamen quid rei sit, satis capiunt, ignorantiam tandem excutiant.

DISPUTATIO QUARTA.

De Natura reparata adversus Jansenium.

PRÆLECTIO PRIMA.

Jansenianæ Historiæ primum Synopsis exhibetur: tum Hæreticos minime dicendos esse propugnatur; qui damnatam Jansenii Doctrinam catholice ejuvantes, hæreticum tamen sensum in quinque proscriptis Propositionibus Jansenium minime adoptasse contendunt; qui tamen temeritatis, ac perniciosa crimine non absolvuntur.

Hæcenus Humanæ Naturæ morbum exaggravavimus, Viri Theologi: tempus est, ut medicum requiramus. Quibus vulneribus fauciatas fuerit Homo primi Adæ peccato, pro modulo nostro exposuimus: quæ Medicina fecundi Adæ Viriute sanandus sit, exponendum impresentiarum aggredimur. Celeberrimam de Divinorum Auxiliorum necessitate Disputationem auspicamur, Augustino præsertim, & Angelico Doctore Ducibus; quos primarios hujusmodi Controversiarum Magistros excipere non semel Ecclesiæ iussit; quos sequi gratissimum nobis est. Verum cum in tanta moveandarum Quæstionum segete diu, multumque dubius hæserim, quas potissimum tractandas assumerem, quæ Confessum nostrum & delectare, & erudire præ cæteris possent, id tandem occurrit Menti, facturum me pro votis Singulorum, si celeberrimas de Jansenismo Quæstiones agerem; quæ tanto Animo-rum ætu, tanta Eraditorum contentione, fragore tanto ab annis circiter quinquaginta in Galliis potissimum eruperunt. Ita sane fiet, ut qui de Jansenio, & Jansenismo toties audiunt, nec tamen quid rei sit, ullatenus capiunt, ignorantiam excutiant; nec ultra in isto Argumenti genere impotenter cæcutire sinantur: quod quidem, quæ potero, fide tractabo; quæ fas fuerit, Eruditione resolvam.

Ab Historiæ Jansenianæ Synopsi ducam exordium, quantum ad Controversias internoscendas satis erit. Si enim referre adamussim omnia velim, non dies, aut mensis, sed annus integer me deficiat.

Erat Cornelius Jansenius Regius in Academia Lovaniensi Professor, ac postmodum a Rege Catholico ad Episcopatum Yprensem destinatus; ab altero Cornelio Jansenio fecerendus, qui & ejusdem Academiæ Doctor, & Gandavenis Epi-

scopus fuit. Librum spissum satis edidit de Divinæ Gratiæ Auxiliis, cui titulum fecit *Augustinus Jansenii*; hoc est, Augustinus a Jansenio illustratus; in quo Augustini Doctrinam, cujus se studiosissimum profitebatur, exponendam aggressus est. Ereptus ille præmatura morte Librum typis committere non potuit; at typis committendum Testamento legavit Capellano suo; eam etiam Clausulam Testamenti adiciens, quæ totum Opus Ecclesiæ Romanæ Judicio committebat, id omne expungendum, corrigendumque profectus, quod illa & expungere, & corrigere vellet.

Typis ergo post mortem Auctoris editus Liber in Gallias delatus est, quo tempore Gallici Imperii supremum Ministerium obibat Cardinalis Julius Mazarinus; qui illum Illustrissimum viro Isaaco Hoberto Vabrensi Episcopo examinandum commisit. Is post longam Libri lectionem Propositiones quinque excerptit Censura configendas.

Prima hæc erat: *Aliqua Dei præcepta Homini-bus iustis, volentibus, & conantibus, secundum præ-sentes, quas habent, vires sunt impossibilia: deest quoque Gratia, quæ possibilia fiunt.*

Secunda: *Interiori Gratia in Statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

Tertia: *Ad merendum, & demerendum in Statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine Libertas a necessitate: sed sufficit Libertas a coactione.*

Quarta: *Semipelagianii admittebant preventivæ Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei: sed in hoc erant hæretici, quod vellet, eam Gratiam talem esse, cui posset humana Voluntas resistere, vel obtinere.*

Quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino Homini-bus mortuum esse, aut sanguinem fuisse.*

Excerptæ quinque illæ Jansenii Propositiones ad Judicium Episcoporum Gallicanorum, qui solita tunc Comitia Parisiis celebrabant, delatæ sunt. Has omnino configendas censuit Sacer Confessus. At cum de Episcopo hic quaestio esset, & quidem alienæ Ditionis, in quem nullum jus, auctoritatem nullam Galliarum Episcopi obtinebant, damnationem in quinque Propositiones excerptas non ferendam quidem judicarent, sed supplicandum censuerunt Apollonica Sedi; ut de iis Sen-

Sententiam ipsa ferret. Quare Litteras obsequen-tis officii testes Innocentio X., qui tunc Eccle-siam moderabatur, scripserunt Episcopi Gallicani; quibus configendas Propositiones ad illius Tribu-nal detulere.

Causa Romam delata maturo judicio discus-sa est; ac tandem Propositiones illæ quinque, ut hæreticæ, erroneæ, impiæ, scandalosæ proscriptæ sunt anno 1653. Ut primum in Gallias pervenit Diploma Pontificium, non desuere, qui, ut damnationis vim effugerent, illico responderunt, Propositiones merito quidem damnatas esse; at alie-no omnino sensu, quam quo illas Jansenius docuisset. Hincque factum est, ut Alexander VII., qui Innocentio X. proxime successit, novo Diplomate edito easdem Propositiones a Præ-decessore suo damnatas & a se damnari declarave-rit in sensu ab Auctore intento.

Credi vix potest, quot inde Jansenianorum ob-murmurationes prodierint. Jansenii sensum ab Er-rore penitus alienum multo altius conclararunt; tametsi Propositionibus illis sensus aliquis inesse merito proscriptendus, Ecclesiam in Juris Quæ-stione dirimenda, an scilicet Propositiones illæ hæreticæ essent, nulli obnoxiam Errori fassi sunt; secus in Facti Controversia decernenda; quali pro-fecto est illa; *quisnam Jansenii sensus esset*: atque idcirco non pauci Alexandri VII. Constitutioni parere renerunt.

Quid plura? Crescente in dies Virorum Jansenii partibus addictorum Factione Fidei formulam edidit Summus Pontifex, cui Viri omnes in sus-picionem vocati (atque etiam Sanctimoniales, quæ ea fulgine resperse putabantur) subscribere coacti sunt. Et hic rursus Circulatio non mini-ma fuit. Subscriptionem nonnulli negarunt; alii Subscriptionem circumscriptione aliqua restrinxerunt; ita nempe subscribendo: *In Dogmatibus Fidei præsto, in Factis reverentiam*: hoc est, Fide credo, Dogmata illo quinque iuste esse damnata; sed in altero, quod Facti Caput attingit, Jansenium nempe Dogmata illa eo ipso hæretico sensu docuisse, non Fidem, sed reverentiam Eccle-siæ præsto. Non minimas in Ecclesia Gallicana turbas excitavit ille subscribendi modus. Hunc Episcopi nonnulli, quibus Subscriptiones illas sus-cipiendi munus incumbat, recipiebant, ac ra-tum habebant; alii nullas istiusmodi Subscriptiones acceptabant; sed nude, nulloque apposito temperamento subscribi volebant absque distinc-tione Juris, & Facti. Atque ii quidem duas in partes scindebantur. Quidam nullum idcirco Subscri-ptioni temperamentum apponi patiebantur, quod Quæstionem Facti a Quæstione Juris fecerim non posse crederent, Ecclesiamque in utraque dirimen-da infallibilem existimarent: alii ab istiusmodi restrictione abstinendum volebant, tametsi Factum a Jure longe fecerent; quia eam inutilem reputabant, & ab Ecclesiæ usu alienam. Quoties enim (inquirebant) alicui Instrumento subscribitur, ad omnes Instrumenti partes Subscriptio re-ferret, prout ejuisque partis conditio postulat: nec necesse est, ut tot illa in Subscriptionibus temperantia, & clausulas reponamus. Cum ergo Jansenianarum Propositionum Damnatio Dog-ma complectatur, & Factum; quorum primum Fidem exigit, alterum puram, ac meram reve-rentiam, Subscriptio etiam nude apposita Fidem Dogmati præstat, & Facto solummodo reveren-tiam; tametsi distinctis illud verbis nullatenus ex-primatur.

Verum cum Jansenii Partiarri reponerent, id quidem verum esse, seque etiam Damnationis For-mulario sine clausula subscripturos, nisi pertime-scerent, ne forte Nebulones aliqui absolutam illa-

rum Subscriptionem perperam interpretarentur; il-lamque ad Factum non aliter, quam ad Jus in-ique detorquerent.

Res compositione finita est. Declararunt scilicet Episcopi viginti publicis Instrumentis a Nota-riis exceptis, se Subscriptionem quidem absolutam ab iis exigere, non quod Factum cum Jure promiscue confundi, eademque religione utrumque a Fidelibus credi vellent; sed quod duo hæc satis per sese distincta supponerentur; nec clausulis, & additamentis in Subscriptionem distingui necesse esset præter solitum Ecclesiæ morem.

Negotium iis Episcopis aliquandiu factissimum est, quasi Jansenii Partiarri abundantius indulgis-sent. At re ad Clementis IX., qui Alexandro VII. successit, Tribunal delata, eorum agendi ratio probata est, Zelus laudatus, pacis amor commen-datus; eoque pacto Ecclesiæ Gallicanæ intestino veluti bello discissa restituta pax fuit.

Neque tamen partibus suis omnibus absoluta fuit. Hanc nonnulli Ardeliones quanto citius in-terturbarunt. Cum enim quinque famosas Propo-sitiones hæreticas pronunciaisset Alexander VII. in sensu a Jansenio intento; nec tamen, quis sensus ille esset, exposuisset; non desuere male fecerat Cavillatores, qui varios in Jansenio sensus a dam-nato remotissimos, cæcassis inde verbulis, vena-rentur; legitimas Augustini, & D. Thomæ Sen-tentias a Jansenio forte assertas exquirerent, (ne-mo enim Errantium est, qui non veri aliquid o-miter dixerit) ut in illas Pontificiam Damnatio-nem referrent. Quam audaciam, ut opportuno re-medio frænaret SS. Pontifex, qui Ecclesiam Catho-licam pari tunc Religione, ac Majestate reger-bar, Innocentius XII., sensum in quinque famo-sis Propositionibus damnatum fixit in *Brevi ad Belgii Episcopos dato anno 1694*: illumque esse pronu-nciavit, quem verba ipsa præferunt, quique per se legentibus obviis est; ne in fabricandis pro arbitrio Jansenii sensibus iniquo, & fraudulento labore desudarent inquieti Homines, qui nihil ob-liquæ non moverant, ut Scholæ Thomistica Do-ctrinam Jansenii Damnatione petitam effluerent. Quin etiam in eodem Brevis vetuit, ne quis ali-quem invidioso Janseniani nomine infamularet, nisi Ecclesiastico Judicio convictus esset, proscriptas quinque Propositiones, aut saltem ex illis aliquam propugnasse: *Injungimus*, inquit SS. Pon-tifex, *ne ulla ratione quempiam vaga illa accusatio-ne, & invidioso nomine Jansenismi traduci, aut ov-cupari sinatis, nisi prius suspectum legitima conside-rit, aliquam ex his Propositionibus docuisse, aut tenuisse.* (Apud Graveſon Epist. s. Theol.) Equis enim petulantiam illam ferat, qua Homunciones plerumque inscientes, ac prorſus ignari Viros eru-ditos, ac pios invidioso Jansenisæ nomine tradu-cunt ob id unum, quod in Divinæ Gratiæ Con-troversiis Augustini Dogmata tenacius amentur, a Moliniani laxitatis abhorrentes; cum cate-roquin a Jansenii Erroribus ita procul absint, ut abest Moliniana ab Augustini Doctrina; illorum-que Damnationi fronte subscripserint? Sciant, sciant quotquot eruditos Viros, ac pios iis titulis infama-re non pudet, penis se Canonicis in Contumaces statutus esse subjiandos.

En viri Theologi, quantum ex Janseniana Hi-storia scire necesse est, ut jam movendæ a nobis Controversiæ intelligi facile possint. De singulis damnatis Jansenii Propositionibus differendum amo-do; ac singillatim de qualibet inquirenda duo sunt: primum; quid Facti sit; alterum; quid Juris. Primum, inquam, an Jansenius Propositionem sub ejus nomine damnatam re ipsa docuerit, ac in eo ipso sensu, qui hæreticus est, pronuncia-verit: alterum; an Propositio in sensu obvio, quem

verba præferunt, eam re vera Censuram meruerit, qua illi ab Summis Pontificibus iniusta est: quod eo nitore, ea methodo pertractabo, ut neminem fore putem, qui non statim intelligat, Jansenium, & in Facto, & in Jure ab APOSTOLICA SEDE reffe, ac iuste fuisse damnatum; nullaque ejusdem Partiaris patere Suffugia, quibus eum ab hæretico sensu liberare ullo pacto valeant.

Huc gravissimæ Tractationi brevi Quæstionula præcludam in præsentia, quæ cæteris deinceps agitantis non mediocrem lucem asserere possit. Quid nempe de iis Jansenii Partiaris sentendum sit, qui damnatas quinque Propositiones in sensu obvio, quem verba præferunt, hæreticas esse profitentur, Jansenium tamen ab hæretico illo sensu procul fuisse sibi putant?

Qua in re statuo imprimis, illos pro Hæreticis haberi non posse. Enimvero Hæreticus nemo dici potest, nisi ob negatum aliquod Fidei Caput: porro tamen Fidei Caput sit, hanc, vel illam Propositionem in sensu obvio, & naturali vel admitti, vel damnari oportere; non Fidei tamen, sed Facti Quæstio est, an is, vel ille Auctor Propositionem illam hoc, vel illo sensu docuerit. Quæstiones si quidem Fidei ex Scriptura Sacra, & Traditione ab Ecclesia dirimuntur: at nemo, ut opinor, adeo hebes erit, ut dicat, ex Scriptura Sacra, & Traditione judicari posse, quis Jansenii sensus extiterit.

Rem Exemplo compertam habemus. In secunda, & tertia Synodo Œcumenica Origenis Doctrina damnata fuit, ac nec sola ipsa Doctrina, sed & ejusdem Persona, in quam anathema dictum est. Quid subinde factum? Habuit ille Partiaris suos; sed non omnes æquo modo affectos. Alii ita Origeni patrocinabantur, ut ejus etiam proscriptos Errores tuerentur: Alii proscriptos Errores execrabantur; sed Origenis falso, & perperam affectos assebebat. Priores pro Hæreticis habitus sunt; cæteri non ita; quia, Jure admisso, Factum duntaxat distabantur. Extat ea de re elegans S. Hieronymi Epistola num. 65, adversus Origenistas. Porro quod tunc in Origenis Partiaris factum est, potiori jure ad Jansenii Partiaris referri potest; qui cum Propositiones ejus nomine damnatas in sensu obvio hæreticas fateantur, Jansenium tamen ab eo sensu remotissimum fuisse contendunt. Potiori jure dico; nam durius cum Origene actum erat, quam cum Jansenio actum sit. nedum enim Origenis Doctrina damnata erat; sed & ejus Persona anathemate percussa; quod in Jansenium tentatum non est.

Statuo nihilominus secundo de istiusmodi Jansenii Partiaris, illos in hac sua exitiminatione falli, & gravis pertinacia reos esse, dum Jansenium ab obvio damnatarum Propositionum sensu alienum effutunt. Falli illos demonstrabimus, dum de iisdem Propositionibus singulatim sermo fiet; unquamque enim eo in sensu ab illo assertam, produclis ejus Libri locis, demonstrabimus: gravis autem pertinacia reos illos esse, triplici ex capite palam facio. Primo; quia si privatum iudicium de Jansenii sensu Romani Pontificis iudicio antepont, qui Propositiones illas hæretico sensu a Jansenio assertas declaravit. Secundo; quia licet in Factis ad Fidem non attinentibus decernendis errare. Romanus Pontifex possit; religiose tamen exitimandum est, tantam illum in iis decernendis diligentiam præstitisse, quantum Viri prudentes præstare solent. Si ergo Jansenii sensum a damnato alienum putat aliquis, quia in illo investigando satis se valere Ingenio putat, vel satis studii, ac laboris impendisse existimat; cur quæso minore Ingenio valuisse, minusque studii, ac la-

boris impendisse credit eos, quos huic Facto expellendo deputavit Romanus Pontifex? Tertio; si absque pertinacia saltem vitio Jansenii sensus ab Errore absolvi possit eo solo prætextu, quod in discutiendis Auctorum sensibus aberrare Pontifex possit, possit quis citra pertinacia vitium proscriptos quoscumque Libros pro arbitrio abolere; damnatosque, quos liberet, Auctores ab Errore liberare. Statim enim obrudere possit, hanc Facti Quæstionem esse; & in discutiendis Librorum, & Auctorum istorum sensibus Pontificem cespitasse. Sic ergo ultimo concludendum, illos, qui obviunt quinque Propositionum sensum, ut hæreticum, ejurant; Jansenium tamen ab eo sensu alienum esse volunt; ab Hæresi quidem liberos esse; pertinacia tamen vitio laborare. In Exercitatione, quæ sequitur, de prima Jansenii Propositione sermo erit; eamque ab Illo in sensu vere hæretico traditam esse demonstrabimus.

PRÆLECTIO II.

Propositionem primam ex quinque damnatis Jansenium in hæretico sensu vere propugnasse, defenditur.

Jansenianam Hæresim, cujus Synopsim historiam in antehabitis exhibuimus, præsentis hæc Theologica Disputatio consulat, a prima proscripta Propositione exordium ducimus. Hæc hinc verbis in Pontificio Damnationis Diplomate expressa est: *Aliqua Dei præcepta Homini bus iustis voluntibus, & conantibus, secundum præsentem, quas habent, vires impossibilia sunt; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiunt.* Qua parte sit Error, nemo est, qui statim prima fronte non videat, nempe quod iustis ipsis voluntibus, atque conantibus Dei Præcepta impossibilia esse dicat, illisque Gratiam ipsam deesse velit, qua illis Præcepta Dei possibilia fiunt.

Jure ne, an injuria hæc Assertio Jansenio afficta fuerit, investigandum imprimis existimo: ne ad Controverfiam Facti Quæstionem Jansenianam detorqueant; suoque Antesignano peregrinas Propositiones a malevolis affictas oblaterent, a quibus ille remotissimus fuerit: est enim illud Jansenianorum pervulgarum Effugium. Quocirca libere, ac sine cunctatione pronuncio, Jansenium hanc ipsam Propositionem primam verbis totidem propugnasse, sensuque profus hæretico.

Res in propatulo est ex ejus Libr. 3. de Gratia Salvatoris cap. 13, ubi post congesta bene multa S. Augustini Testimonia, quæ ad Divinorum Mandatorum impossibilitatem ostendendam perperam, & inique detorferat, ita demum colligit paulo post hujus Capituli medium: *Hæc igitur omnia plenissime planissimeque demonstrant, nihil esse in S. Augustini Doctrina certius, atque fundatius, quam esse Præcepta quedam, que Homini bus non tantum infidelibus, & peccatis, obduratis, sed fidelibus quoque, & iustis voluntibus, conantibus, secundum præsentem, quas habent, vires sunt impossibilia; deesse quoque Gratiam, qua fiunt possibilia.* En uti certissimè, totidem verbis expressam Propositionem illam primam, quæ SEDIS APOSTOLICÆ consors confixa est. Quin & aliquid addit crudius, atque durius. *Hoc enim, subjungit ille, S. Petri Exemplo aliisque multis quotidie manifestum est, qui tentantur ultra quam possunt sustinere:* nempe D. Petro impossibilem fuisse Christi Domini Confessionem Jansenium existimasse; illumque, ultra quam sustinere possit, ad negationem Christi tentatum esse; cum e contra disterte pronunciet Apostolus 1. ad Cor. 10: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod*

quod potestis, sed facies etiam cum tentationis proventum, ut possitis sustinere.

Sed neque Propositionem illam ex occasione tantum posuit Jansenius, aut sui velut immemor, & incogitanter effudit: fuit hæc ex intimis Doctrinæ suæ Principiis, uti necessarium penitus confectarium.

Primum, unde fluat, Principium istud est: Potentiam implendi Præceptum nunquam in ratione Potentiæ completam esse, donec, efficaci Gratia adjuvante, re ipsa Præceptum adimpleat. Hinc quippe consequens est, toties completam non esse Potentiam, quoties Præcepta non implet; cum tunc efficaci Gratia non juretur: atque ita toties impossibilia esse Præcepta, quoties non implentur. Totum id colligere licet ex Cap. 15. Libr. 3. de Gratia Christi; ubi quatuor duntaxat modis Dei Præcepta possibilia esse contendit Ypresis Episcopus: Primo, remotissime per naturalem liberi arbitrii flexibilem Facultatem: secundo, paulo propinquius per Fidem: Tertio, adhuc plenius, per habitus Virtutum: Quarto, completissime, per Gratiam efficacem, quæ cum actuali Præcepti observantia conjungitur. Ubi, ut certissimè, completam Potentiam dicit duntaxat Gratiæ efficacis auxilio; & ab habitibus Virtutum ad efficaciam Auxilii nullo medio transitum facit: cum e contra Potentiam in ratione Potentiæ completam supponere debuisset actualis Gratiæ sufficientis auxilio, ut non efficaci Auxilio completeretur; sed jam completa operi applicaretur. En primum.

Alterum Jansenianæ Doctrinæ Principium, ex quo idem Error pullulavit, istud est: nimirum in Statu Nature lapsæ Auxilium omne ex sese, & ab intrinseco esse efficac; nullum sufficientem omnino dari, quod item simul efficac non sit. Id videri potest Lib. 3. de Gratia Christi cap. 4; ubi tamen prima fronte Gratiam sufficientem Molinianæ duntaxat sensu expostam oppugnare videatur; quæ videlicet ex liberi arbitrii assensu vel dissentiu efficaci, vel inefficax fiat; subinde tamen, ultra quam par erat progressus, sufficientem omne Auxilium oppugnavit, præter quod alterum efficacem postulatur. Quo Principio Errorem suum de Divinorum Mandatorum in iustis a Justitia excidentibus impossibilitate, exerto veluti digito, Jansenius demonstravit. Cum enim Auxilii sufficientis inanis esse dicatur, ut Potentiam expedit, completamque, Potentiam hanc minus expeditam, completamque esse necesse est, cui nulla Gratia sufficienti præsto esse putatur: ubi autem expedita Potentia non est, res impossibilis merito dicitur. Quisquis porro Gratiam sufficientem ab efficaci nullo pacto distinguit, iustos a Justitia excidentibus sufficienti Gratia destitutos supponit, cum & tunc efficaci Gratia destitutos censentur.

Tertium, ut alia mittam, Jansenianæ Doctrinæ Principium, ex quo ad Errorem illum obrudendum viam stravit, legitur Libr. 3. de Gratia Christi cap. 14; ubi Deum, Hominem iustum prius deserere docet Auxiliorum subtractione, quam Deus ab Homine deseratur; additque, non aliam esse causam, cur Homo iustus deseratur a Deo, nisi quia Deus Gratiam nec dare vult, neque offert. Cum e contra Universi Catholici fateantur post Augustini, & Conciliorum Definitiones suo ordine præferentias, Deum Hominem iustificatum non deserere, nisi prius deseratur ab eo; Deumque nemini unquam Gratiam denegare, nisi is aut duritie, aut scordia obicem, & impedimentum opponat. Porro ex eo Janseniano Principio fluxisse primæ Propositionis Errorem, nemo non videt. Cum enim implendi Præcepti potestas a Natura esse non possit, nisi Divina opitulante Gratia; implendi Præcepti, vitandique peccati potestatem

Serry Tom. IV.

non habet Iustus, si antequam Iustitiam, & Deum ipsum peccando deserat, a Deo ipse Auxilii subtractione deseratur.

Hinc Jansenii Partiaris viderint, nihil Antistiti suo perperam assiduum esse in hujuscæ primæ Propositionis Damnatione: cum eam ipsam discretissimis verbis expresserit; eaque Doctrinæ suæ Fundamenta posuerit, ex quibus filo ducto necessario sequitur. Jam quid ad Jansenii fidem liberandam in hæc Facti Quæstione Janseniani proferant, perpendamus.

Jansenius, inquit illi, solam Gratiam sufficientem expolit, qualis a Molinianis accipi solet; ultra quam scilicet nihil aliud a Deo requiri dicitur instar Principii operationis; alteram autem Thomisticam sensu acceptam, intactam, atque illæsam esse voluit; eam nempe, quæ posse confert, tamen efficacem insuper Gratiam postulet, ut actus re ipsa exeratur. Mentem suam aperit ille Lib. 2. de Gratia Salvatoris cap. 1., ubi hæc habet: *Quapropter sufficientem illam Gratiam, quam Scholastici multi in Theologiam, velut Adjutorium Salvatoris, intulerunt, ab Augustino destructam, funditusque eversam esse libens fateor.* Hæc enim Principia hætenus ex eo tradita, cum quibus illa Gratia subsistere nullo modo potest, perspicue probant. *Vocamus autem illam sufficientem Gratiam, seu sufficientem Adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei, per modum Principii necessarium est, ut homo velit, aut operetur.* Sic enim a multis recentioribus, & Vulgo fere accipi solet (nempe a Molinianis) *Quod si vero sic accipiatur, ut sufficientem, sicut a quibusdam dicitur, (nempe a Thomistis) quod satis est, ut Homo dicatur posse operari, quamvis aliud necessarium sit, ut de facto operetur; de hujusmodi sufficienti Gratia non est hic noster Controverfiam.* Ita plane Jansenius Molinianam itaque Gratiam sufficientem impetit, non Thomisticam; atque ita Catholico sensum habet.

Nihil nos ista movent, si, quæ Jansenius e vestigio subdidit, attendamus: postquam enim de Thomistarum sufficienti Gratia Controverfiam eo loci non esse pronunciat, ita subjungit: *Talem enim Gratiam sufficientem fortasse non diffuciler S. Augustinus admittet, quamvis esse veram illam Christi Gratiam, de qua Quæstio est, pernegaret.* Hocine est Gratiam Thomistarum admittere; cum dubitet, an eam admittitur esset Augustinus; audacterque pronunciet, Doctorem SS. eam pro vera Christi Gratia nullatenus habiturum? Sed quid tandem? Molinianam quidem sufficientem Gratiam eo loci, nimirum cap. 1. potissimum Jansenius impetit; de Thomistica Controverfiam eo loci non esse declaravit. sit ita. At subinde, longiusque progressus istam quoque oppugnamdam aggressus est cap. 3, velut linguare, & inaudium Gratiæ monstrum; idque magno cum stomacho. Quid ergo Jansenium absolvemus, si quod capite primo non attigit, capite 3. perfcit? Per gradus procedat Vir acutus; & ex unius impugnatione Gratiæ ad alterius confutationem properat.

At esto daretur, Jansenium Gratiam sufficientem Thomistico sensu propugnasse; necdum propterea stare in tuto; nisi & alia duo, quæ simul Thomistæ docent, agnovisset. Primum; Potentiam in ratione Potentiæ ex Auxilio sufficienti expeditam esse, atque completam, nec ultra Gratiam efficacem desiderari, ut in ratione Potentiæ compleatur; sed solum, ut actui applicetur. Quisquis enim id negat, uti protecto Jansenius pernegavit, toties impossibilia esse Mandata supponit, quoties non implentur; cum implendi Potentiam minus expeditam, ac minus completam esse dicat quo tempore efficaci Gratia non juvatur. Alterum quod ultra Gratiam sufficientem Thomistarum a

V

guovif-

gnovisse Janfenium necesse esset (ut omnis vitare Error) istud est: Auxilium scilicet efficax (ad actuale Divinorum Mandatorum observantiam necessarium) Justis cadentibus subtractum esse ex illorum culpa; quod nempe impedimentum, & obicem apposuerint? In eo quippe Thomistarum Systemate Dei Præcepta Justis a Justitia excidentibus vere observata possibilia intelliguntur; partim illi obicem sufficientis admittunt, quæ illis adhuc præsto est, & Potentiam in ratione Potentiam completam facit, & expeditam; partim, quia in Justorum potestate erat, Gratiâ efficacem habere, quæ ipsa Præceptum impleant, nisi obicem propria Voluntate apposuissent. At duo hæc perfracta Janfenius negat. Potentiam in ratione Potentiam compleri negat, nisi Gratiâ efficacis auxilio; Gratiâque efficacem Justis a Deo subtrahi putat, quod eam ille dare nolit; non quod illi obicem ponat; uno verbo, Justos prius a Deo deserit putat, quam ille deseratur ab eis.

Hinc cernitis, opinor, Viri Theologi, quam iniquiter Ingenium torqueant, qui primam istam Janfenii Propositionem, quæ totidem omnino verbis legitur *Lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. 13.*, benignè interpretari volunt hoc pacto, ut Dei Mandata Justis a Justitia excidentibus impossibilia a Janfenio dicantur impossibilia consequente, & actus secundi; hisque tunc deesse Gratiâ, quæ possibilia fiant potentia consequente, & in actu secundo: quamvis illis possibilia supponantur in actu primo, & potentia antecedente. Ingenium, inquam, iniquiter torquent, qui ea circulatione Janfenium absolutum vellent. Hanc enim interpretationem duo illa Janfenii Principia a me paulo antea recensita minime patiuntur, ut cernitis; cum Potentiam in ratione Potentiam, & in actu primo expeditam non esse velit, nisi Gratiâ efficacis auxilio, quo tunc Justis destituti censentur; & tamque ipsam Gratiâ efficacem, quæ potentia consequens, actusque secundus conferendus esset, ex nullo Hominis cadentis defectu subtrahi putet.

Accedit alterum, quod Janfenii Partiarum repopant: nempe illum Gratiâ sufficientem Thomistarum ex nomine duntaxat impugnasse; re ipsa tamen agnovisse. Is enim *Lib. 2. de Gratia Christi cap. 27.* quædam Gratiâs actuales tenuiores agnovit, quibus Mens consultatur; Voluntas percellitur; suasionis bonæ inspiratur; Voluntas imperfecta, Velleitæque aliqua bona instillatur; ac veluti per gradus ad conversionem ducitur Homo, donec efficaci tandem Gratia Conversio perficiatur. Hoc porro tenuiori Gratiâ genus illud ipsum est, quod Schola Thomistica sub Gratiâ sufficientis nomine profertur.

Verum nec ista moramur. Ac primo quidem, nullam Janfenio litem moveremus, si sufficientis Gratiâ vocabulum minus probasset; cum & inter Thomistas non pauci inveniantur, qui ab eo Vocabulo, equivocationi satis obnoxio, abstinendum existimant. Hos inter eminet Thomas de Lemos *Lib. 4. part. 2. cap. 6.* Enimvero id sufficiens appellare Vulgus solet, ultra quod nihil ultra requiritur. Quia ergo Schola Thomistica ultra Gratiâ actualem excitantem, requiri insuper efficacem docet, ut re ipsa quis convertatur, non desuere, qui dixerint, minus commode sufficientem appellari Gratiâ excitantem. At modo res in tuto sit, minor erit, ac etiam nulla de nomine controversia: quamquam ego Gratiâ illam sufficientem commode appellari putem; nimirum sufficientem ex parte Potentiam; quia nihil præter ipsam desideratur, ut Potentia completa sit, & expedita: quo jure oculum sanum sufficientem dicimus ad videndum, tamen si luce insuper egeat: quia lux ad Potentiam visum completam,

& expediendam non requiritur; sed solum ut actus Medio disposito exeratur. Verum misso vocabulo, de quo minus litigare velim, ad rei caput accedo.

Janfenium ab Errore non liberat ea tenuioris excitantis Gratiæ confessio, nisi eam cum necessariis appendicibus admiserit: nisi, inquam, agnovit, Gratiâ illam excitantem sufficientem confesse Vires, Potentiamque in ratione Potentiam penitus expedire: nisi concesserit, Homini eandem a Deo concedi ex Voluntate saltem antecedente Conversionis ipsius, atque Salutis: nisi dixerit, Deum ad uberius conferendum Auxilium paratissimum esse, nisi Homo obicem poneret, Quæ tria tantum abest, ut Janfenius admiserit, quin potius oppugnavit ex Antithetico. De primo, ac tertio nota res est ex Antithetico. De secundo dubitationem excutiet omnem quisquis *caput 20. Lib. 3.* legerit; ubi Voluntatem antecedentem Conversionis, Salutisque omnium a Statu Naturæ lapsæ prorsus eliminat; & intra Naturæ innocentis terminos coercet; Gratiasque illas excitantes nullo pacto seu ex ipsarum natura, seu ex Dei intentione, & ordinatione ad Conversionem, actumque perfectionem destinari contendit. Quo fit, ut ex Doctrina Janfenii Hominibus justis volentibus, & conantibus Dei Præcepta impossibilia dicantur, quoties a Justitia peccando excidunt.

En eliquatam Faci Questionem, Janfeniique sensum in aperto positum. Questionem juris in Disputatione sequenti auspicabimur; Erroremque a summis Pontificibus merito proscriptum demonstrabimus.

PRÆLECTIO III.

Primum ex quinque proscriptis Janfenii Propositionibus nedom a Sacris Conciliis in antecessum anathemate fuisse confixam; verum etiam a D. Augustino, cujus ille se Discipulum profitebatur, reprobata, ac data opera confutata, demonstratur.

DE prima Janfenii Propositione, quod Facium attinet, satis diximus. Hanc a Janfenio ita propugnatam ostendimus, ut nihil illi affictum, nihil impositum Janfeniano obrendere possint. Jam quid Juris sit, inquirendum: an Erroris merito damnata fuerit, disputandum. Est porro, ut meministis, his verbis concepta Proposition hac: *Aliqua Dei Præcepta Hominibus justis volentibus, & conantibus secundum presentem, quas habent, vires impossibilia sunt; deest quoque Gratia, qua possibilia fiant.* Qua in re ita statuo: Assertionem hanc judicio Pontificio proscriptam, nedom a sacris Conciliis prædamnata fuisse sub anathemate; verum etiam a D. Augustino, cujus præsertim Suffragium testam illam existimavit Janfenius, proscriptam, ac data opera confutata.

Prodit primo in ordine Synodus *Arausiana II.* totius Orbis veneratione consecrata *Canone XXV.* ubi ita decernunt sanctissimi Præsules: *Hoc etiam secundum Fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum Gratia omnes Baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad Salutem Animæ pertinent, possunt, & debent, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Si possunt, quæ ad Salutem pertinent, adimplere, Mandata profecto implere possunt; cum hæc Salutem obtinenda præ cæteris necessaria reputentur, juxta illud Christi Oraculum: *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata.*

Distinctius vero Concilium Tridentinum Janfenio.

fenianum Errorem in Calvinianis enatum occupavit, ac sub ipsis Janfenii terminis prædamnavit *Seff. 6. cap. 11.*: *Nemo remanet illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei Præcepta Homini Justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possit, & petere, quod non possit; & adjuvat, ut possit.* Quibus verbis & Errorem confodit, & fundamentum Erroris occupavit, Gratiâ adjuvantem præsto esse decernens, quæ Dei Præcepta possibilia fiant: cum e contra deesse illam Janfenius effutierit. Hoc porro Tridentina Synodi Sacrum Oraculum totidem omnino verbis ex D. Augustino desumptum est *Lib. de Natura, & Gratia cap. 43.*: ut hoc uno idu duplici telo petitum Janfenium agnoscat.

Ac neque hoc uno loco Catholicam veritatem expressit sanctissimus Doctor. Totus in ea firmanda videtur esse: ut plane mirari fubeat, Janfenium, qui totum Augustinum quidecies ex integro se legisse gloriatur, rem meridiana in luce positam non observasse. Sed hoc, Deo volente, ad ejus contumendam superbiam, quæ se unum verum Augustinianæ Doctrinæ sensum attrigisse jactabat, effectum credendum est. Augustinus enim prælaudato *Libro de Natura, & Gratia cap. 69.* hæc habet: *Eo quippe ipso, quo firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Difficilia nonnulla Præcepta vocat; nulla tamen impossibilia: atque illa ipsa, quæ difficilia esse monet, impleri omnino posse significat Gratiâ opitulante, quam petendam esse nos docet. Rursus *Enarrat. in Psal. 56. n. 1.* *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret, ne hoc ab Homine fieret.* Similiter etiam *Serm. 236. in Appendice Tom. 5.* *Execratur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibilia aliquid Homini a Deo esse præceptum, & Mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in commune posse servari.* In quem locum respexitque arbiter Innocentium X., qui cæteras inter infamiae Notas, quibus primam illam Janfenii Propositionem confixit, blasphemiam illam declaravit. Iterum *Lib. 2. de Actis cum Felice Manicheo cap. 5.*: *Qui enim servare Legem non vult, in potestate ejus est, si velit: non enim dicit: non potuerint, sed noluerint.* Hoc certe, quod noluit servare Legem non a gente tenebrarum coguntur: Si enim coguntur, non nolunt, sed non possunt: si autem nolunt, non usque coguntur, ut non faciant, sed Voluntate sua nolunt. Quid hoc porro est, quod ad Voluntatem refert SS. Doctor Legis implendæ potestatem? An solis Voluntatis viribus eam impleri posse putat? Absit: sed ad Voluntatem refundit, quæ, nisi Deo Misericordiam obicem ponat, Gratiâ obtinebit, quæ Præceptum adimpleat.

Cæterum non modo Catholicum Dogma statuit Divinæ Gratiæ Vindex; verum etiam ratione confirmat, cui nihil reponi posse omnino video: nimirum frustra correptum, & injuste damnatum iri Hominem ob violatam Dei Mandatum, si nulla ei esset implendi Mandati potestas: *Quis non clamat; inquit ille Lib. de Fide contra Manicheos cap. 10.* in *Append. Tom. 8.* (qui licet in præsentia Augustino adjudicetur, Janfenii tamen ætate inter sequina Augustini Opera recensetur; unde Janfenius Errorem suum dignoscere facile poterat) *Quis, inquit, non clamat, stultum esse, Præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere; & iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* Libro vero de duabus Animabus: *Estimane hi li-*

bri obscuri mihi scrutandi erant, unde disserem, neminem vituperatione supplicio dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest? Non ne ista cantant & in monibus Pastores, & in theatris Poete, & Indocti in Circulis, & Docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Aristites in sacris Locis & in Orbe terrarum Genus humanum? Et hoc tamen cantare noluit Janfenius, Justoque peccare commentus est, iis Præceptis violatis, quorum impossibilitatem somniavit.

Quid plura? Principium, quo turpiter Janfenius lusit est ad Errorem procedendum, ex Instituto confodit D. Augustinus. Janfenium enim si lubet interrogare, quorsum Hominibus justificatis, quo primum momento a Justitia recedunt, impossibilia Mandata sint: plane respondet: quia Deus illos Auxilii sui subtractione prius deserit, quam deseratur ab eis; sicque nulla sui culpa a Deo deserti necessario cadunt. E contra vero Augustinus *Lib. de Natura, & Gratia cap. 26.*: *Deus, inquit, cum per mediatorum Dei & Hominum Hominem Jesum Christum spiritualiter sanat agrum, vel vivificat mortuum, id est justificat impium; & cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque pervenerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper, jusseque vivatur.* Quæ verba etiam protulit Tridentina Synodus *Seff. 6. cap. 11.*

Respondet Janfenius, Augustinum de subtractione Gratiæ sanctificantis fuisse loquutum, quæ Deus neminem justificatum spoliat, nisi admisso peccato; non de subtractione Gratiæ adjutantem, & actualis, quæ Præceptis implendis est necessaria: hanc enim subtrahi putat antequam Homo delinquat.

At reclamat Augustini Textus, & Janfenium ineptum interpretem prodit. Agit quippe hoc loco Doctor SS. contra Pelagianos, quibuscum nulla de Gratia sanctificante concertatio fuit, sed de Auxiliis duntaxat actualibus: assertque discrimen inter sanantem Medicum, & Deum opitulantem; quod Medicus, sanitate restituta, Hominem sanum veluti deserat, sibi que relinquit; cum contra Deus perpetuo servet Hominem post restitutam etiam sanitatem: quod certe nonnisi de actualibus Auxiliis accipi potest. Probat hoc ipsum subjuncta eodem in capite 26. a Sancto Doctore Comparatio: *Sicut enim oculus corporis, inquit, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic & homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce Justitiæ Divinitus adjuvetur, recta non potest vivere.* Sanat ergo Deus, non solum ut debeat, quod peccavimus; sed ut præstet etiam, ne peccemus. Quis non videat, de Gratia actuali hic esse sermonem? De Gratia videlicet adjuvante; quæ Homini jam justificato confertur, ut acceptam Justitiam continuo servet.

Idem illud ex aliis Augustini locis apertius est, quam, ut cavillari Janfenius possit. Hinc *Serm. 22. (in Append. Tom. 5.)* exponens illud *Exodi cap. 9.* *Induravit Dominus cor Pharaonis; istud imprimis tanquam solidum Principium statuit: Hoc fidenter, & firmiter credat Dilectio Vestra, quia nunquam Deus deserit Hominem, nisi prius ab Homine deseratur. Cum enim senel, & secundo, & tertio uniusquisque gratia peccata commiserit; expectat tamen illum Deus, sicut per Prophetam dicit, ut convertatur, & vivat. Et post pauca concludit: Ista enim Testimonia Scripturarum ideo Charitativè Vestra insinuarè voluimus, ut intelligatis, quia obduratio non Dei potentia compellente perficitur; sed Dei remissione, vel indulgentia generatur: ac sic Pharaonem non Divina*

Potentia; sed Divina Patientia credenda est obdurasse. Quæ cum de subtractione Auxiliorum actualium, unde oritur obduratio, intelligatur, perspicuum est, ea nunquam Homini, præsertim justificato, subtrahi, nisi prius ipse Deum, Justitiamque deseruerit, quam prius possidebat. Scio, Sermonem istum a recentioribus Criticis Augustino abjudicari, & Casario Arelateni tribui: verum Janseii tempore pro legitimo Augustini factu habebatur ab omnibus, & nunc primum in Appendice collocatus est, ut eruditi Benedictini restantur. Quamobrem nullus Janseio declinandæ Difficultatis patefcit aditus.

Sed quid, si Principium istud ex aliis Augustini Libris, quorum dubium occurrit nullum, ostendero? Profecto passim eadem profert aurea verba SS. Doctor: *Lib. 4. Confes. cap. 9. Te nemo amittit, nisi qui dimittit. Enarrat. in Psalm. 58. Serm. 1. n. 2. loquendo de Adamo inquit: Et vero dereliquit illum Deus, quia ipse deseruit Deum: & Enarrat. in Psalm. 145. n. 9. Non enim deseret Opus suum, si ab Opere suo non deseratur. Et Tract. 24. in Joan. n. 6. Deus tuus ubique totus est: Si non ab illo facias casum, nunquam a te ipse facit occasum.*

Non minori religione, atque constantia repellit SS. Doctor alteram Janseii Ratiocinationem, qua impossibilia esse aliqua Dei Præcepta contendit, quia id S. Petri Exemplo, aliorumque quotidie manifestum est, qui tentantur ultra, quam possint sustinere. Contrarium omnino decernit Augustinus Enarratione in Psalm. 61. *Ad mensuram enim permittitur tentare Diabolus: Dein paucis interjectis: Nol' ergo timere permissum aliquid facere Tentatorem: habes enim misericordissimum Salvatorem. Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis; ut qui te nesciebas, a te ipso inveniaris. Nam ubi, vel unde, nisi de hac Dei potestate, & misericordia feceris esse debemus? Equid aliud decerneret Augustinus, cum ab Apostolo, cujus ipse Doctrinam adamussum expresse, scriptum legamus 1. ad Corin. 10. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere? Hinc & aliis Scripturæ locis tendere funiculum Deus dicitur: habere in manu mensuram funiculum: dolorem, ac laborem attente considerare; vireque consulere; ne quemquam ultra, quam possit sustinere, tentari patiat: ut plane mirum videri debeat, Janseium tam ruinoso Fundamento superstruere voluisse.*

At quid tandem Ipse in sui præsidium profert, perpendamus. Multa imprimis Augustini Testimonia congerit, quibus significat SS. Doctor, Sanctos a Justitia excidentibus Dei Gratia deserui, Cælesti Præsidio destitui; aliaque id genus multa, quæ passim in Libris adversus Pelagianos adnotatis occurrunt. Sed sunt hæc nimis levia, quam ut eruditum aliquem Theologum morari possint. Ad Gratia siquidem per se efficacis destitutionem referuntur; quia illos destitui perspicuum est. Unde minus colligere liceat, Justis ea Gratia destitutis impossibilia esse Mandata; quorum possibilitas, ut antea monebamus, duplici ex capite colligi potest: Primo; ex Gratia sufficientis admiculo, cujus præsidium præsto est illis, Potentiamque completam, & expeditam in ratione Potentia constituit: Secundo; quia nonnisi illorum defectu Gratia se ipsa efficacis deest illis; quam Deus de suo bonus sine cunctatione largiretur, nisi ii obicem possissent.

Reclamare videtur in oppositum D. Chryostomus Hom. 72. in Joan.; ubi de casu D. Petri differens negationem ejus Divini Auxilii subtra-

hioni duntaxat videtur adscribere; nullo vero pacto hujusce Apostoli culpæ, ac negligentia, quæ is a Deo deserui meruisset: Neque enim, inquit ille, frigiditate, sed superbi Auxilii derelictu consistit. Et Homil. 31. in Epist. ad Hebræos: Negatio non tam erat secundaria, ac negligentia, quam ex ea, quod Deus cum deseruerat. Verum nihil hæc Chryostomi Testimonia conficiunt. Demus enim Petro subtractum non esse Divinum Auxilium ob ejus frigiditatem, ac negligentiam; nam & is optime animatus erat; non id tamen obest, quominus ob alterius generis culpam ei fuerit denegatum; nimirum ob ejus elationem, qua se plus cæteris Apostolis posse præsumperat, dum ait: *Etiamsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor: ob ejus petulantiam, qua Christi verbo reiterat, dum ei dicitur Antequam Gallus canter, ter me negabis, audacter respondit: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Unde idem Chryostomus, de quo lis est, Hom. 83. in Cap. 26. Matth. loquendo de Petro ait: *Ingens enim parvum cum invaserat, & ingens ideo, quoniam Divina Protectione valde fuit denudatus: quod porro factum est (notate) propter arrogantiam, & contradicendi pertinaciam duritiam.* Et post pauca subdit: *Puto autem ambitione quoque aliqua, & jactantia in ea verba Petrum lapsum fuisse. Quid ergo Institutum nostrum interest, quod non ob ejus frigiditatem denegata ei Gratia fuerit, si alia de causa subtracta est? Stat quippe, quod posuimus, Fundamentum; nunquam Homini justificato subtrahi Divinum Auxilium, quo re ipsa in Justitia perseveraret, nisi is aliqua sui culpa subtractionem demeruerat, aliquemve Divinæ Misericordiæ obicem ponat: ut ita juste omnino conqueri Deus possit, illudque Propheta usurpare: Perditio tua ex te Israel; tantum ex me Auxilium tuum.*

Eam esse communem Patrum Sententiam profertur Doctor Angelicus in 1. Sent. distict. 40. quest. 4. art. 2. in sed contra est: *Dicunt communiter Sancti, Dionysius, Augustinus, & Anselmus, quod causa, quare iste non habet Gratiam, est; quia ipse noluit accipere, & non quia Deus noluit ei dare. Quod subinde probat solidissima ratio: Istum autem carere Gratia ex duobus contingit: tum quia ipse non vult recipere; tum quia Deus non illi infundit, vel non vult illi infundere. Horum autem duorum talis est ordo, ut secundum non sit, nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non velit nisi bonum, non vult istum carere Gratia, nisi secundum quod bonum est: sed quod iste careat Gratia non est bonum simpliciter. Unde hoc absolute consideratum, non est volitum a Deo. Est tamen bonum, ut careat Gratia, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligenter se preparat: quia justum est; & hoc modo est volitum a Deo. Ita plane Doctor Angelicus.*

Difficile duntaxat captu est, quo pacto propter obicem ex culpa Homini natum denegari Gratia possit; cum & obex, & culpa intelligi in Homine nequeant, nisi jam Gratia ipsa destituta intelligatur. At sunt hæc alta Divinæ Gratia Mystéria, quæ non ita facile assequitur humana Ratio. Quocirca legendus maxime Doctor Angelicus Lib. 3. cont. Gentes cap. 159; ubi expresse probat, rationabiliter Homini imputari, si ad Deum non convertatur, quamvis hoc sine Gratia non possit.

Rem pro modulo suo ita exponunt Scholastici nostrates: nempe inveniunt, Hominem eodem momento converti ad commutabile bonum, & peccare, ac tum simul privari Gratia: ita tamen, ut hæc duo, si inter sese comparentur, culpa scilicet, & Gratia privatio, culpa præcedat, Gratia pri-

privatio subsequatur. Quia cum privatio nunquam per se causam habere possit, qua directe fiat, necesse est, ut ad positionem alterius consequatur; sicut corruptio unius formæ generationem novæ supponit. Nonnulli culpam, & Gratia subtractionem secundum varia causæ genera priorem, posterioremve definiunt, quanquam eodem tempore fiant; nam in genere causæ efficientis præcedere, alteram in genere causæ materialis: uti plane, dum Venti assantis impetu Fenestra aperitur, Venti ingressus in genere causæ efficientis Fenestræ apertionem anteverit; Fenestræ apertio Venti ingressu in genere causæ materialis est prior. Si qui ea Scholæ ratiocinatione delectantur, per me licet; pascantur eo cibo, qui velint; nec enim solidiorem Philosophiæ subtilitatis habet. Sarius tamen fore puro, si ad inscrutabilia Dei Judicia referatur; gratiorque forsitan erit Augustini Sententia: *Justitiam tuam Domine anteverit iniquitas mea; iniquitatem meam prævenit Misericordia tua: neminem enim deseris, nisi desertus. Sol mihi es semper lucens: nisi cado, tu non occidis: nisi tibi fecerim casum, tu mihi non facis occasum.* In frequentibus de Secunda Janseii Propositione Quæstio movebitur.

PRÆLECTIO IV.

Secundam Janseii Propositionem in sensu hæretico fuisse ab eo traditam; & a SANCTA SEDE merito condemnatam, asseritur, propugnatur.

DE secunda Janseii Propositione ab Innocentio X., & Alexandro VII. proscripta sermo nobis est in præsentia. Est hæc porro his verbis expressa: *Gratia interiori in Statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur: hoc est; nulla interior Gratia datur, cui aliquando resistit Homo: indefinita quippe Propositio, ut Dialectica loquitur, æquivalens universalis. Et quidem, si alicui duntaxat interiori Gratia nunquam resisti dixisset Janseius; Gratia videlicet se ipsa efficaci nunquam obstitit; consentientes haberet quotquot cum Augustino, & Angelico Doctore Theologi sentiant. Hinc illud Augustini Lib. de Corrupt. & Gratia cap. 14. Deo volenti saluum facere, nullum Homini resistit arbitrium. Sic enim velle, seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut Divinam Voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Hinc & illud cap. 12. Subventum est igitur infirmitati Voluntatis humane, ut Divina Gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Et quo vero pacto efficacem Gratiam rejici contingeret, cum hujus propriissimus sit effectus, ut Cor ipsum Homini aperiat, sibi que ipsa aditum faciat, ac sui etiam tribuat usum? Quod & Augustinus observat Lib. de Pred. Sanct. cap. 8. Hec itaque gratia, inquit, que occulte humanis cordibus Divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quoque tribuitur, ut cordis duritia primis auferatur.*

In eo ergo proscripta hujusce Propositionis virus hæret, quod omnem prorsus Gratiam interiorem efficacem esse velit: nullam pure sufficientem admittat; nullam, uno verbo dicam, cui Homo interdum obstitat.

In cujus quidem Erroris confutatione, ut institutam methodum teneam, duo investigare præsentis est Institutum: Facti unum, alterum Juris. Primum; an ita re ipsa Janseius fenserit? Alterum; an Erroris causa merito proscripta sit hæc Assertio?

Quod Factum interest, ita sane sensisse Janse-

nium, adeo in aperto est, ut otiosi Homini fore putem, ea in re demonstranda diutius immorari. Suam ille mentem nitidius aperit Lib. 2. de Gratia Salvatoris; ubi hoc inter Gratiam Naturæ Innocentis, ac Naturæ lapsæ discrimen ponit; quod illa nonnisi pendula, & liberi arbitrii consentui subdita esset; ista nonnisi per sese efficacis; nonnisi victrix; nonnisi indeclinabilis esse possit. Unde Capite 25. hunc ipsum Titulum præfigit: *Gratia Medicinalis efficacissima natura declaratur ex eo, quod nulla prorsus effectui careat; sed cum in omnibus, quibus datur, infallibiliter operetur. Si nulla porro Gratia effectu suo caret, sed illum infallibiliter operatur; nulli ergo Gratia resistitur: cum nonnisi Voluntatis Humanæ renisu effectu suo carere possit.*

Sed eliquatus aperit mentem suam Cap. 27. ubi cum permulta S. Augustini Testimonia congestisset, quibus Gratiam infallibiliter, & indeclinabiliter suum effectum sortiri docet, Catholicum Theologorum Responsum sibi obicit: *Respondet, inquit, fortassis aliquis, hæc omnia, que produximus, cum de Gratia tantum efficaci tradidisse; nihil vero impedire, quin alia nonnulla Gratia per Homini Voluntatem effectu careant. Hanc vero Responsum statim rejicit ille: Respondeo, inquit, nihil verius dici, quam quod omnia, que hæcenus protulimus, de Gratia efficaci Augustinus dixerit, atque intellexerit. Cujus rei causa est, quod nullam agnovit aliquam actualem Christi Gratiam, nec agnoscere potuit; nisi Regulas omnes fundamentales, quibus innixus naturam Gratia medicinalis tradidit, & explicavit, vellet interimere. Quibus perspicuum fit, Janseium, cui & puppis, & prora unus est Augustinus, in Natura lapsa non alium actualis Gratia genus agnovisse, nisi per se efficacis; & cui nunquam Humana Voluntatis obstitat. Neque vero aliud sentire potuit, modo Principiis a se positus tantillum hæret; cum sufficientem omnem Gratiam ab efficaci distinctam, velut immane monstrum, expulserit toto Lib. 3. de Gratia Salvatoris; ac Theologos oppositum sentientes, uti ab Augustini lectione peregrinos irriterit. Non est ergo, cur quidquam Antistiti suo impositum Janseiani conquerantur, dum hæc ejus nomine proscripta Propositio est: Gratia interiori nunquam resistitur.*

Quanto vero Jure Erroris Nota Assertioni illi affixa fuerit, paulo distinctius est demonstrandum. Si enim quid Janseius fenserit, scire jurat; quid nos sentire oporteat, observare interest longe magis: curiositatis illud est, istud necessitatis, ac Religionis.

Ac primo quidem, quod Scripturas Sacras attingit, perspicuum est, iis recta fronte confixam Propositionem opponi; 2. ad Corin. cap. 6. & Exhortamur, inquit Divinus Apostolus, ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis. In vacuum ergo Gratia recipi potest; alias absorta esset adhortatio, si ne id fieret, adhortaretur Apostolus, quod fieri non posse arbitraretur. Quid porro est, Gratiam in vacuum recipi, nisi susceptam Gratiam effectu suo vacuari, inutilem, vanam, ac cassam effici Voluntatis renitentis oppugnatione? Neque vero reponere Janseius potest, de Gratia externa Apostolum agere, non de interna; de qua solum vertitur Controversia: de Gratia enim in Homine recepta loquitur: *Exhortamur vos, ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis: receptam vero Gratiam, externam duntaxat vocitare, illudere est. Innuit hoc ipsum ratio ab Apostolo subjuncta: idcirco enim hortatur, ne in vacuum Gratiam Dei recipiamus, quia Deus accepto tempore exaudiat Hominem, & in die Salutis adjuvat: de Gratia igitur adjuvante monet Apostolus, ne eam in vacuum*

cum recipiamus: Gratias autem externas, nemo, quod sciam, adjuvantes nuncupavit, sed excitantes.

Accedit & alterum ejusdem Apostoli Oraculum 1. ad Theſſal. 5: Spiritum, inquit, nolite extinguere. Extingui itaque potest, dum scilicet bonus aliquis motus surgit auctore Spiritu Sancto; qui tamen renitente Voluntate nullum in nobis fructum obtinet. Hinc & illa D. Stephani ad Judæos increpatio, Actorum 7: Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Neque vero existimari potest, reprehensos fuisse a D. Stephano Judæos, quod duntaxat Spiritui S. per os ipsius loquenti, ac vocationi duntaxat exteriori resisterent. Non enim intelligi potest, neminem inter Judæos fuisse, quem Spiritus Sanctus interius moveret, & excitaret, Sanctissimo Protomartyre vehementissime prædicante. Unde & Veterum nemo est, qui de interiori inspiratione, & impulsu Spiritus Sancti eum Scripturæ Locum non intellexerit.

Addi & illud potest ad Hebræos cap. 12.: Contemplantes, ne quis desit Gratia Dei: Dei vero Gratia deesse dicitur aliquis, dum suum Divinæ Gratia negat assensum. Jam si quis id de externa aliqua Gratia, & vocatione intelligendum vellet, a scopo Apostoli quam longissime aberraret. Ait enim Apostolus loco citato: Pacem sequimini cum omnibus, ac sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, contemplantes, ne quis desit Gratia Dei. Cui vero Gratia, nisi illi, quæ Sanctimoniam efficit, & quæ Beatitudinem promeretur?

Neque illud prætermittendum Proverb. cap. 1.: Vocavi, & non venisti; extendi manum meam & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Cujus tremendam poenam subiungit: Ego quoque in interitu vestro videbo. Ita nempe sprete Misericordiam Iustitia vindicat, & vicem rependit; ut qui Dei Gratiam irrisit, irrideatur a Deo; ac in ipso præsertim interitu; ubi si unquam allas, tunc certe maxime Divinæ Gratia subsidio eget Peccator.

Jam quod Augustinum attinet, cui uni stare se Jansenius profiteretur, mentem ejus in aperto ponit celebris illa cum Pelagianis habita Concertatio. Si enim Gratiam Possibilitatis ultra fatabantur, Gratiam Actionis pernegabant: hoc est; Gratiam admittent, quæ Homini Possibilitatem agendi largiretur; non quæ ipsam Actionem operaretur in Homine; Gratiam, uno verbo dicam, quam sufficientem Theologi nuncupant, agnoscebant; efficacem explodebant. Quid ad hæc Augustinus? An Pelagianos, quod priorem Gratiam agnoscerent, inculpavit? Minime gentium: sed quod non aliam insuper faterentur. Unde & facile inendum foedus cum Pelagianis adpromisit, si ultra eam Possibilitatis Gratiam, Gratiam etiam Actionis agnoscerent. Ita plane Lib. de Gratia Christi cap. 47.: Si ergo, inquit, consenserit nobis, id est Pelagius, non solum possibilitatem in Homine, etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, id est ut bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in Homine, nisi quando bene vult, & bene agit: si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque esse Gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra Justitia justos facit, ut ea sit vera nostra Justitia, quæ nobis ab illo est; nihil de adjutorio Gratia Dei, quantum arbitror, inter nos controversia caput relinquatur. Gratiam ergo mere Possibilitatis agnovit Augustinus, ut ab Actione sejuncta est, cui Voluntas obstitit.

Expresit id eleganter SS. Doctor Quest. 2. ad Simplicianum; ubi Gratiarum mere excitantium,

quibus Humana Voluntas obstitit, naturam exponit: Fiant ergo, inquit, incubationes quedam Fidei, conceptionibus similes: non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniat eternam. In propriorum Gratiarum illarum sufficientium effectum. Primo enim Divina vocatione, & motione interna Spiritus Salutis veluti concipitur: nec dubium, quin augeatur ea motio, nisi intercipiatur, donec formetur Christus in Homine: sed interdu Voluntas veluti gravis ad partum non pervenit, quod desit efficax ea Gratia, quæ obstetricante Voluntas indeclinabiliter parturiret.

Hoc ipsum in semetipso expertus est Augustinus in Conversionis suæ præluo; quod in Libris Confessionum tam pie, quam eleganter expressit: evanidos illos sensit Divinæ Gratia motus, quos continuis perendinationibus extinguebat: motus, inquam, ut ipse loquitur, similes motibus Hominum expersivi voluntium; qui superati soporis altitudine remerguntur. Equis nostrum non illos per sepe sensit, & extinxit? Quis nostrum se reum non habeat, & agnoscat, quod Divinis inspirationibus, & excitationibus sæpius obstitit? Ut mirum sit, potuisse in dubium a Jansenio revocari, quod quotidianis experimentis (heu!) nimium perferimus, nos interiori Divinæ Gratia interdum obstitere. Jansenium profecto interrogare velim, an sibi ita de se conscius sit, ut interiori Gratia nunquam obstitit? Id si dicat, a Sanctiorum humili confessione promereret: nemo enim illorum est, qui se minus Divinæ Gratia respondisse, non humillime fateatur.

Augustino suffragatur Doctor Angelicus quo clarior potest modo in Quodlibeto 2. quest. 4. art. 6.; ubi Quæstionem agit, utrum Homines credere debuissent, si Christus visibilia miracula non fecisset; quam ita resolvit: Respondeo dicendum, quod nullus teneret ad hoc, quod est supra vires suas, nisi per hunc modum; quo fit sibi possibile: credere autem est supra potentiam Humanæ naturæ, unde ex dono Dei provenit. Homo ergo tenetur credere secundum hoc, quod adjuvatur a Deo ad credendum. Adjuvatur autem a Deo aliquis ad credendum tripliciter. Primo quidem per interiorem vocationem. Secundo per doctrinam, & prædicationem exteriorum. Tertio per exteriora miracula. Si autem Christus visibilia miracula non fecisset, adhuc remanebant alii modi attrahendi ad Fidem, quibus Homines acquiescere tenerentur. Tenebantur enim Homines credere Actoris Legis, & Prophetarum. Tenebantur etiam interiori vocationi non resistere, sicut Isaias de se dicit: Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abii; Isaiæ 50. Sicut de quibusdam dicitur Actor. cap. 7.: Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Quibus liquet ex D. Thomæ Sententia, Homines interiori vocationi Divinæ Gratia interdum resistere; quando scilicet ea vocatio, ut loquitur S. Augustinus ex Apostolo, non est secundum propositum.

Scrupulus restat unicus, quem avellere necesse est, ne præsidium ex eo Jansenius petat ad Errorem suum muniendum. Sunt enim Theologi, ii, quæ bene multi, qui Gratias sufficientes, ac mere excitantes, effectum vacuari negent. Quamquam enim illæ Conversionem integram non efficiant, Cor tamen emolliunt, excitant, movent pro modo suo, iustas stillicidii Cor lapideum cavant, tamen Torrens infar non penitus trahant. Porro, si suam Gratia illæ sortiuntur effectum, qui ipsis pro tenuitatis suæ conditione proprius est; sunt igitur suo in ordine efficaces; tamen Conversionem integram, quæ potentiori Gratia referatur,

vat, in Homine non efficiant. Ut enim Gratia aliqua efficax nuncupetur, desiderari non potest aliud, quam ut illum effectum obtineat, qui forti suæ, ac conditioni sit proprius. Omnis itaque interior Gratia efficax erit; atque idcirco nulli Gratia restitit Humana Voluntas.

Verum eo scuto Errorem suum commuere Jansenius nullatenus potest. Quamquam enim recte omnino ii Theologi sentiant, qui Gratias etiam mere sufficientibus, & excitantibus proprios effectus respondere dicunt; duplici nihilominus capite a Jansenio discrepant. Primo; quod Gratias illas sufficientes, aut (si verbum displicet) excitantes dari a Deo velint, nedum ex Voluntate consequente excitationis, & emolliationis illorum, verum etiam ex Voluntate antecedente Conversionis; cum imperfectum omne ad perfectum ex ipsa Naturæ conditione destinetur; iique primi conatus excitata, atque (ut ita dicam) gravida Voluntas ad partum ex ipsa sui conditione tendere existimetur. Quo fit, ut iis etiam Gratia Voluntas dicatur obstitere, quæ effectum ex Voluntate Dei antecedente destinatum nullatenus obtineat. Verum cum e contra Jansenius antecedentem Dei Voluntatem de medio rollat, Deumque nullam illorum Salutis intentionem habere velit, quos solis Gratias excitantibus movet, consequens est, ut ii Dei Voluntati, & Gratia nequaquam obstant, qui a Deo excitati conatiuntur quidem, sed minime convertuntur: cum nullam Deo illorum Conversionis Voluntatem inesse Jansenius opinetur.

Altero discrimine a Janseniano Errore distant Theologi illi: quod nempe Hominiibus sola sufficienti Gratia excitatis in potestate esse dicant, Auxilium efficax obtinendi, nisi Divinæ Misericordia obicem ponant. Quo fit, ut qui simpliciter excitantur, nec tamen ultimo convertuntur, eo etiam ex Capite interiori Gratia resistere intelligantur, quod obicem voluntarie posuerint, ne efficax Conversionis Auxilium obtinerent. Jansenius e contra nil magis Augustino repugnare contendit, quam quod illi pro certo habent: Gratiamque, nullo licet accedente Homine obice, subtrahi putat; ut plenius ostendimus, dum de prima illius Propositione dicemus. Quare nihil omnino est Ypocritæ Episcopa cum Theologis illis commune, aut etiam affine. Atque hæc, Viri Theologi, de secunda Jansenii Propositione sint satis. De tertia in sequenti disseremus.

PRÆLECTIO V.

Tertiam Propositionem in Sensu damnato vero Jansenium usurpasse; eamque rite & juste, ut hereticam, a S. ROMANA SEDE proscriptam, evincitur.

Tertia Jansenii Propositio, quam in præsentia expendendam suscipimus, his verbis expressa est: Ad merendum, vel demerendum in Statu Naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit Libertas a coactione. Quod ut ab omnibus intelligi facile possit, nonnulla observare necesse est, quæ si minus capi contingeret, Propositio hujusce sensus impervius omnino foret.

Libertatem, seu Indifferentiam, duplicem fecerunt Theologi solent; Contrarietatis unam, Contradictionis alteram. Libertatem Contrarietatis eam appellat, quæ in terminis contrarie oppositis ferri ex æquo potest: sic Libertate Contrarietatis pollere aliquem dicimus, dum bonum æque, ac malum operari perinde potest. Liberta-

tem hanc Naturæ rationali necessario debitam esse Theologi negant; imo eam peccandi Facultatem Libertatis potius maculam vocant, quam Libertatem. Quare major est Libertas in Angelis, qui peccare non possunt, quam in nobis quibus peccandi Facultas inest. Quid plura? Eam Contrarietatis Libertatem, quæ infelici fato, ac præter Naturæ debitum reperitur in nobis, ad meritum inutilem statuunt Theologi pene omnes. Hinc & Christus mereri potuit, meruitque ipsa, etsi nulla illi istiusmodi Contrarietatis Libertas inesset, malumque operari omnino non posset.

Libertatem Contradictionis Theologi vocant, quæ ad terminos contradictorie (ut Schola loquitur) oppositos æque fertur. Sic Libertate Contradictionis pollere aliquem dicimus, dum agere, & non agere perinde potest: sicut enim agere, & non agere, uti scitis, contradictorie opposita. Libertas hæc alio nomine Libertas, seu Immunitas a necessitate nuncupatur; qui enim agendo potest non agere, nulla certe necessitate adigitur ad agendum.

Superest tertia Libertas, quam Immunitatem a Coactione Vulgus appellat, seu Voluntas spontaneitatem. Ea Libertate pollere aliquis intelligitur, quoties Voluntate aliquid agit, quoties aliquid vult, quæcumque volendi necessitas accedat, modo hujusmodi necessitas illa non sit, quæ invitam, & reluctantem Voluntatem pertrahat. Exempla dabo, ut res in propatulo fiat. Pater æternus volendo producit Spiritum Sanctum, nulla coactione, nulla vi ad producendum adigitur, sponte producit; tamen necessitate producat, actumque productionis suspendere re ipsa non possit. Quia Voluntas spirat, ut Natura est, non ut indifferens, Rursus; Beatus, qui Deum inveniendum amat, profecto volendo amat, est enim Amor Voluntatis Affectus; nulla coactione, nulla vi ad amandum adigitur; tamen necessitate Deum amet, actumque Dilectionis suspendere omnino non possit; a Coactione igitur liber est, non a Necessitate.

Hinc internoscendæ Jansenianæ Propositioni apertissima via patet: sensus etenim est: ad merendum, vel demerendum in Statu Naturæ lapsæ non requiritur Libertas a Necessitate; sine necesse non esse, ut indifferens Homo sit ad agendum, aut non agendum; sed satis abunde esse Libertatem a Coactione: hoc est; abunde sufficere, ut qui agit, Voluntate agat, tamen ad volendum necessitate ducatur? non secus ac Beatus in Patria Voluntate utique Deum amat; tamen ad amandum ita necessitate ducatur, ut non amare omnino non possit.

Nihil Jansenio ea in parte a Summis Pontificibus affectum esse, eumque ita plane sensisse, ut proscripta Propositio præferret, adeo meo iudicio certum est, ut otiosi esset Homines in re competentissima diutius immorari. Neque enim in uno, alterove alicujus Capitis loco ita se sentire significavit; sed tribus Libris integris; Sexto nimirum, Septimo, & Octavo de Gratia Salvatoris: ubi nervos omnes intendit, ut prober, hæc fuisse Sancti Augustini Sententiam, Libertatem omnem in sola spontanei ratione positam esse: unde & Titulum hunc Capiti 6. Libri 6. præfigit: Duplex necessitas Augustinæ Coactionis, & Simplex, seu Voluntaria. Illa, non hæc repugnat Libertati: & Cap. 14. Libri 7.: Si non est alia Libertas vera Voluntatis, quam agendi, & non agendi... gravissima absurda vitari nequeunt, quibus non solum tota Doctrina S. Augustini funditus concutitur, sed etiam sensus Christianæ Pietatis leditur & committitur offenditur: & alia id genus pene sexcenta,

ta, quae tribus iis Libris occurrunt. Auguſta ſtabulum purgare malle, quam quaecumque ea de re dixit, in indicem cogere. Id tamen tacitus praeterire nolim; illum modis omnibus ſuis in partes Doctorem Anglicum pertrahere tentaffe, laxis etiam in illius laudes habentis; ut, hac veluti laudum offa injecta, ſoporem Thomiſtis injiceret.

Si quis porro ſcire velit, quorſum novum iſtud Paradoxum Janſenius cuderit, ſtare ſcilicet meritum, ac demeritum cum neceſſitate agendi, modo nulla coactione ſuperveniat, dicam breviter, & Janſenianae Haeſeſeos radicem aperiam. Gratiam ſcilicet efficacem Janſenius propugnavit, quae neceſſitate inferat Voluntati, quaeque activam indifferentiam amoveat. Quia vero opponi illico poterat, Hominem iſtiuſmodi Gratia efficaci motum nullum jam meritum habiturum, quippe qui neceſſitate bonum ageret; hoc incommodum ut eſſugeret, novum iſtud Doctrinae Monſtrum efformare coactus eſt; ſcilicet ſtare meritum poſſe cum agendi neceſſitate, modo coactio nulla ſupracerderet: hincque mala malis agglutinavit. Quare Lib. 8. cap. 5. contendit, nullum in Auguſtini Monumentis apparere veſtigium, ex quo colligi poſſit, Gratiam cum libero arbitrio conciliaſſe, ex quo Homo Divina Gratia motus poſſit agere, vel non agere (quod ad indifferentiam, & immunitatem a neceſſitate pertinet) ſed quia Homo Divina Gratia motus vult re ipſa, quod vult: nec inſtar dumi a Deo agitur, ſed ſponte movetur, ſemota licet indifferentia; quod ad immunitatem a Coactione pertinere perſpicuum eſt. Si vero quaratur ab eo; cur Beati nil novi Deum diligendo mereantur, ſi ſola ad meritum ſufficit immunitas Coactionis, qualicumque Neceſſitati conjuncta? Reponit, id accidere non defectu ſufficientis ad meritum Libertatis; ſed ob id unum, quod in Termino, ac extra viae Statum conſtituti jam ſunt.

En pleniffimum, cumulatiſſimamque Janſeniani Systematis expoſitionem ex intimis ejuſdem Doctrinae Principiis expreſſam; quam pauci feliciter facti capiunt; pauci intelligentia aſſequuntur; tamerit inſtar Picarum loquacium multa de Janſenio, illiſque Erroribus garriant.

Reponit fortaſſe Nonnulli, qui Janſenium in tuto reſpoſitum vellent, eum Libertatem in Statu Naturae lapſum Indifferentia collocaffe. Janſenius enim, inquit illi, inter Naturam Libertatis & Statum caute diſtinxit. Solam Libertatis Naturam, qualis nempe omni Naturae rationali ex ſui eſſentia debetur, in Coactionis immunitate, ſeu in mera Spontaneitate reſpoſit: verum humane Libertatis Statum, qualis videlicet reperitur in nobis, in Indifferentia reſpoſitum Contradictionis verum etiam Contrarietatis. Ita plane decernit ille Lib. 6. de Gratia Chriſti cap. 34.

Sed ſunt haec merae praestigiae ludificandis Impudentum oculis idoneae. Non iis tamen capimur rebus, qui abtruſiora Janſenianae Doctrinae arcana diſpauimus; quique in iis penitus interſolendis tres annos integros in ejuſlectione tranſegimus. Demus enim, Janſenium inter Naturam Libertatis, & Statum apprimè diſtinxiffe; hoc eſt; quae Libertati ſecundum ſui Naturam debeantur, ab iis longe diſcreviſſe, quae eidem illi ex noſtri Status conditione acciderunt: demus, primum in Coactionis immunitate reſpoſiſſe, alterum in Indifferentia conſtituiſſe; adhuc ſemper reſtat Erroris Caput; illum nempe iſtiuſmodi Indifferentiam, quam nobis ineſſe forte exiſtimavit, ad meritum inutilem contendiffe: qua in re ſitus eſt Error. Quemadmodum & Theologi, qui In-

differentiam Contrarietatis nobis ineſſe certo putant, non tamen illico eam ad meritum neceſſariam exiſtimant; ſed unam Contradictionis Indifferentiam abunde ſufficere arbitrantur.

Si ergo, qui Janſenii partes agunt, iſta conſundunt, atque permiſcent, quae ſecernere nobis eſt opus: quid videlicet nobis inſit, & quid ad meritum requiratur. Quam enim alicubi veritate victus Janſenius in nobis Indifferentiam agnovit, ad meritum tamen neceſſariam pernegavit. In hoc porro ſita Difficultas eſt. Neque ob negatam in nobis quomodocumque Indifferentiam hiſ illi a Pontificibus mota eſt; ſed ob ejuſ neceſſitatem ad merendum exploſam; uti ex damnatae Propoſitionis verbis noſtiſſimum eſt.

Conſenſerit ergo Janſenius (per me licet) Voluntati in Statu Naturae lapſa Indifferentiam omnem ineſſe agendi, & non agendi; nihilofcius exiſtimavit Indifferentiam omnem Voluntati veluti nexum adhaerere; qui nexus, ſi abſit, perfectior erit Libertas, nihilque laudis, ac meriti deperbit. Quod Theologi de Contrarietatis Indifferentia decernunt, is de Contradictionis Indifferentia ponit; ſidenterque pronuntiat, integrum perfectumque Libertatis meritum exiturum, tamerit nulla ſub dominante Gratia Indifferentia ſupponatur: atque hoc ipſum erroneum Pontifices declarant.

Ceterum; quam merito Sententiam illam conſixerit Eccleſiae ſupremi Hierarchae, quod alterum eſt praesentis Praelectionis Caput, ex Auguſtino (quem Cauſa ſuae Patronum Janſenium advocat) demonſtrare facile eſt. Is etenim Lib. de duabus Animabus cap. 11. peccatum definit; Voluntatem retinens, vel conſequendi, quod Juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere: ut hinc jam dignoſcamus, Indifferentiam, Libertatemque a Neceſſitate ad Voluntatem pertinere. Tum ſubinde rationem aſſignat, cur Voluntati ea potestas agendi, & non agendi ineſſe debeat: quia nimirum nullas alioquin vel laudi, vel vituperio locus eſſet: idque uti rem omnibus competentiſſimam ita tuit: Etiam-ne hi Libri obſervi mihi ſervandi erant, inquit S. Doctör, unde diſcerem, neminem vituperatione ſupplicioſe dignum, qui aut id vult, quod Juſtitia velle non prohibet, aut id non facit, quod facere non poteſt? Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores, & in Theatris Poetae, & Indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiquiſtes in ſacris Locis, & in Orbe Terrarum Genus humanum? Ad merendum ergo, vel demerendum Libertas a Neceſſitate deſideratur; mirumque profecto videri debet, aliter Janſenium pronuntiaſſe, quam in toto Terrarum Orbe decantetur.

Accedit & illud longe celebratiſſimum ex Lib. 3. de lib. arb. Cap. 17.; ubi cura plurima Enochio ſuo dixiſſet, ut explicaret, unde ortum habeat mala Voluntas, & quae ſit Actualis peccati cauſa, ita demum compendio colligit: Si laborioſum eſt omnia mandare memoriae, hoc breviffimum tene. Quaecumque iſta cauſa eſt Voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſino peccato ei ceditur: ſi autem poteſt, non ei ceditur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo carere? Ne fallatur. Antantia fallacia eſt, ut careri omni non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt: quis enim peccat in eo, quod nullo modo careri poteſt? Peccatur autem: Careri igitur poteſt. Principii igitur inconcuſſi loco habuit Auguſtinus, nullum ſine Indifferentia, quae in poſſe facere, & non facere ſita eſt, peccatum exiſtere, nullum ſine Libertate a Neceſſitate demeritum.

Sed quid Auguſtinum moror hic? Clamat ipſe Naturae ſenſus, nullam fore Virtuti laudem, nul-

lum laborum fructum, nullam Improbis inſignendam poenam, nullam Studioſis mercedem aſſendam; ſi ad bonum, malumve aliqua Neceſſitate raptemur. Meritum etenim, ac demeritum actus humani proprietates reſcendunt: nullus porro neceſſarius actus humanus reputari poteſt; humanus etenim actus ille eſt, qui ex Voluntate deliberata prodit; hoc eſt; ex deliberatione Rationis, Voluntatiſque electione proficiſcitur: quae ſane omnia, ſi nulla Indifferentia datur, reperiri nequaquam poſſunt.

Hinc Doctör Angelicus, qui cum Janſenii Errorum longe ante perividit, atque ex Instituto conſutavit, eundem illum Univerſae humanae Philoſophiae, atque Moraliſ Fundamenta concutere moſer Queſt. 6. de Malo; digniora ejuſ verba ſunt, quam, ut ſilentio mitti poſſint: Dicendum, inquit, quod quidam poſuerunt, quod Voluntas Hominis ex neceſſitate moveatur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant quod Voluntas cogatur. En plane, uti cernitis, Janſenii Hypotheſim: non enim requiritur, ait iſte, Libertas a Neceſſitate, ſed ſufficit Libertas a Coactione: ſubjungit porro S. Doctör: Hoc autem opinio eſt haeretica: reſtit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritum, vel demeritum, quod aliquis ſit ex neceſſitate agat, quod vitare non poſſit. Eſt etiam annuſeranda inter extraneas Philoſophiae opiniones, quia non ſolum contrariatur Fidei; ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiae moraliſ. Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate moveatur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & poenitentia, & laus, & vituperium, circa quae moraliſ Philoſophiae conſiſtit.

Quid mirum ergo, ſi Janſenianam hanc Aſſertionem a Doctöre Angelico haereſeos prædamnatae, haereſeos quoque notariſ Romani Pontificis, qui Definitiones ſuas ad Angelici Doctöris limam componere ſolent, Concilii Tridentini Exemplum ea poſſimum parte amulati, atque ſequuti?

Quartam ejuſdem Yprenſis Epicoſopi Propoſitionem Praelectione proxima, Deo propitiante, expendemus.

PRÆLECTIO VI.

Quartam Janſenii Propoſitionem & in Fallo, & in Jure Pontificia Cenſura fuiſſe rite & juſte conſideratam, aſſerit primo, atque probatur: tum ſubinde eorum Error deſegitur, ac impugnatur; qui ex hujuſce Propoſitionis Proſcriptione praſidium aliquod, ad tuendam Molinianam Doctrinam validiſſimo Thomiſtarum arietate pulſatam, eruvre ſibi putant.

Quarta Janſenii Propoſitio, quam hodie vocamus ad limam, hiſ verbis expreſſa legitur in Diplomate Pontificio: Semipelagianum admittentem praevenerit Gratia interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: ſed in hoc erant haeretici, quod vellent, eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana Voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

Nulla circa Janſenii mentem ſuboriti dubitatio poteſt; num ſcilicet ita re ipſa ſenſerit; uti damnatae Propoſitionis verba praeferebant. Primam quippe partem, quae Semipelagianos Gratiae praevenerit, & interioris neceſſitatem etiam ad initium Fidei admittiſſe ponit, fuſe docet toto pene Lib. 8. de Haereſi Pelagiana, maxime vero cap. 6., cui hanc Titulum dedit: Quod Gratia generalis Maſſilienſium eſt Actualis interna, & juſticiens ad credendum. Alteram vero damnatae Aſ-

ſertionis partem, quae Semipelagianos idcirco fuiſſe Haereſicos ſtatuit, quod iſtiuſmodi Gratiae reſiſti poſſe contenderent, propugnat idem Yprenſis Epicoſopus loco laudato; ubi haec habet: In hoc ergo proprio Maſſilienſium Error ſitus eſt; quod aliquid primarioe libertatis reliquum putent; quod ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum: ita lapſus homo ſaltem credere poſſet, ſi vellent; neuter tamen abſque interioris Gratiae auxilio, cujuſ uſus, vel abuſus voluit eſſe in uſuſque arbitrio, & poeſtate. Nihil ergo Janſenio ea parte aſſictum eſſe, perſpicuum eſt.

Rurſus juſta Cenſura Propoſitionem illam conſixam eſſe, ex iis, quae tertia Propoſitionis occasionem dicit ſunt, perſpicue liquet. Si enim Libertas a Neceſſitate, hoc eſt, agendi, & non agendi facultas ad merendum, vel demerendum neceſſaria ſupponitur, uti cumulate demonſtratum a nobis eſt, ita pariter reſiſtendi, & obſequendi poeſtatis, Libertati penitus indiviſa; atque idcirco tantum abeſt, ut Haeretici ideo fuerint Maſſilienſes, quod eam reſiſtendi, obſequendique potentiam ſaterentur; quin potius is e contra Haeretici haberi debet, qui eam pertinaciter impugnatur. Minus itaque nobis eſt in praesentia cum Janſenio diſputandum; in quem non modo praedicta res eſt; verum etiam ex antedictis meridianis in luce plus factis poſita.

Verum in nonnullos Janſenii Adverſarios minus aequo inſtruetur illis eſt; qui ex hujuſce Propoſitionis Damnatione Molinianum oblique inſtaurare vellent, & Thomiſticae Scholae, quae ei jam pridem bellum indixit, vires adimere moliantur. Res plena Myſterii eſt; quam nonniſi emundiores Theologi, & in hiſce de Divina Gratia Controverſiſ exercitatiſſimi facile capiant. Myſterium hic reſerare officii noſtri eſt, ut qua ſub herba lateat anguis, omnes intelligant. Favete duntaxat animis; nam & attento Ingenio vobis eſt opus.

Molina, & quotquot cum illo ſentiunt, non aliud, ut ſcitis, Gratiae actualis genus agnoſcunt, niſi quae liberi arbitrii aſſenſu ita ſubditur, ut pro illius aſſenſu, vel diſſenſu efficaciam, vel inefficaciam ſortiarur. Eſt hoc Molinianae Doctrinae Caput; in quod pene tota collimat nova illa excogitata Concordia liberi arbitrii cum Gratiae donis. Quid ad haec D. Auguſtini, & D. Thomae Diſcipuli? Tot inter alia Argumenta, quibus illud Gratiae genus explodunt, iſtud etiam in Molinianos maxime regeunt; quod & iſtiuſmodi Gratiam Semipelagianam etiam agnoſcerint; nec tamen, uti Catholici habiti ſunt; imo potius uti verae Chriſti Gratiae hoſtes a ſacris Conciliis anathemate percuſſi. Telum hoc ut effugiant Moliniani, reponunt, iſtud quidem Gratiae genus agnoſſe Semipelagianos ad proſecutionem, & conſummationem bonorum operum; verum ejuſdem neceſſitatem pernegaffe ad initium bonorum operum, ac praecipue Fidei; idque unum in cauſa fuiſſe, cur ab Eccleſia uti minus Catholici habiti fuerint. Quare ut nihil ea ſaltem in parte Semipelagianos inter, ac Molinianos diſcriminis eſſe demonſtrant Thomiſtae neſtrates, id praefertim ſtatuum ſibi ſumunt, Semipelagianos Gratiae interioris praevenerit neceſſitatem ad initium bonorum operum, ac ipſos etiam Fidei propugnaffe: nec alia idcirco de cauſa fuiſſe damnatos, niſi quod Gratiam illam libero arbitrio ſubderent: atque ita uno, eodemque in illis haerere luto Molinianos, qui Gratiam illam ſuum libero arbitrio ſubditam fabulantur. Jam tandem copias ſuas ex hujuſ quartae Janſenianae Propoſitionis Damnatione inſtaurare nituntur Moliniani recentiores, ut illum Thomiſtarum conatum elu-